



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

18. Feminæ alium virum nescientis, duplex & rarum exemplum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

dula res est zelotypia, & tam in iniurias, quàm in vindictas iustas prona. Aliud est suspicari, aliud periclitari. In claris periculis, tutissimum est vxori maritus asyllum; ad quod sapienter matrona Mediolanensis procum reiiciendo confugit; vti & Lacæna.

Accuratæ quoque fidei argumentum est, quod idem Plutarchus narrat. *Hieron Syracusanus tyrannus ex inimico audiuit primum, sibi fatere animam. Quamobrem commotior ad uxorem, inquit, cur non commonuisti? At illa, vt quæ modesta foret, puraq; Quoniam, inquit, ita viris omnibus os olere opinabar. Quàm pauca fæminæ in hac sunt ignorantia, & opinione? nimirum experientiâ aliud doctæ, quod nescirent, si viris suis fideles essent. Sed necesse est, earum perfidiâ, fidem castarum commendari; quæ transgressæ non sunt, cùm transgredi potuerunt; egregieque docent, quantum sit matrimonij bonum, fides marito seruata; dum adulteræ ostendunt, quantum sit matrimonij ma-*

XVIII.
Valer. Max.
lib. 10.

lum fides violata. Vtræque ergo in exemplum proponuntur; sicut olim Caia Cæcilia Tarquinij Prisci regis Rom. vxor, singularis modestiæ, probitatis, & industriæ femina, Lanificij peritissima, quæ velut idea veræ matris familias habita fuit. *Et ideo institutum est, vt noua nuptæ, ante januam mariti interrogatæ, quanam vocarentur; Caiam esse se dicerent C. Titij, plurimæque vellent Caiæ nominari.*

Talem qui nactus est coniugem, meritò pluris etiam hoc nomine, æstimat, quia videt se, inter multas sequiores, fidelem, hoc est, rem raram acquisuisse. De qua Sapiens ait: *Sit tibi vxor, sicut cerua charissima, & gratissimus hinnulus.* Est enim amor cerui ac ceruæ singularis. Velocissimi sunt ad inuicem opitulandum. Castè, & non nisi secretò congregiuntur. Post conceptum, congressu abstinent. Felle carent: quo pacto olim, in connubijs, Iunoni pronubæ sacrificantes fel eximebant & abijciebant, ad charitatem coniugum significandam, vt scribit Plutarchus. Interim ceruæ mari suo fidæ sunt. Nam, vt Nemesianus canit: *Cerua matrem sequitur.* Ceruus autem pro compare sua acerrimè duellat. Tale est coniugium fidorum;

XIX.
Prou. 5. 19.

Ddd 3 inter